



## **Venatio Sacra. Sive Puer Amissus**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Elegia Octava.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70011)

O ut naturæ verrit vis inuida leges!  
Ante parentis Amor, iam furor hostis erit.

## ELEGIA OCTAVA.

1. *Arguit Saram iniuria.*
2. *Indignatur se Abrahæ domo excludi.*
3. *Ipsa limina, & canes fingit suum luxisse  
abitum.*
4. *Quis abeuntis gestus.*

**L**uor, & ira graves concors conspirat in ausus  
Prò scelus! hæc dominum vicit, & alter heram,  
Hinc cui crimen abest, ac criminis umbra, vel error;  
Sum rea: quod coniux damnet vterque ream.  
Si lubeat iusto sub vindice quærere causam:  
Grande nefas, pueros lis tenet vna duos.  
Fratr amans fratrem tetigit. (res ludicra) tactu  
Ludit is in fratrem sit graue crimen amor?  
Hinc Agari, Sarai dispar in prælia nomen:  
Vt quia par coniux, pugna sit vnus hymen:  
Hinc tam grande nefas, & forsan morte piandum  
Ludus, an hæc ludo præmia soluit Amor?  
Hanc poterat domus vna viri, torus vnus Erynnyn  
Flectere; si flecti posset amore chalybs.  
Inuidiâ Saræ tenet impius ille parentem  
Ardor, & ardoris damna scelestæ luo.  
Scilicet hoc merui coniux, & mater; in vno  
Crimine cui duplex crimen amoris erat.  
Sens hera non fontem premit hinc sine vindice seruam,  
Improba vis! an vim serua retundat heræ?  
Hinc & ego rursus Diuam, quo nescio, nutu;  
Vertere iussa solum, vertere iussa fidem.  
Quid loquar hæsuos ardenti puluere sulcos?  
Quid sequar errantes cæca per arua pedes?

B

Mene

Mene toro auelli cui sic mens arsit ; & ardet  
 Absque modo , ceu fax pronuba , fidus amor ?  
 At vos indigni thalamis tam tristibus ignes  
 Quos accendat hymen , nox vbi festa venit.  
 Inde Megæra feras inflammat opinor ; echidna,  
 Vnde bibit virus liuida Sara suum.  
 Sic gemit , indignansque fremit mens saucia luctu :  
 Nec modus est iræ , quam parit æger amor.  
 Ecquis enim modus immenso foret æquus amori ,  
 Qui sterit Abramio splendida tæda toro ?  
 Stare iubet modò certas Amor . vis impia cogit  
 Ire . stat imperio cedere . cessit Agar .  
 Cessit ? inhaeret amans valuis , simul oscula figit .  
 Oscula crudeli dissoluenda fugâ .  
 Mota solo est tellus ; & Hylax in limine latrat :  
 Opprobrat infido tam graue crimen hero .  
 Sentires tremuisse fores , tremuisse penates  
 Vt tetigit trepidis limina sacra genis :  
 Et mæstos vlulare canes , lacrymare columnas ,  
 Liminaque attonitis anxia liminibus ,  
 Vtque labante labans stabat tum limine ; limen  
 Ore premit , postesque implicat arcta manu .  
 Nec poris auelli . noua postibus oscula plorans  
 Reddit . & inde nouo tacta dolore gemit .  
 Nunc pueri teneros vultus , nunc alma parentis  
 Vbera prærendit , nunc sine dote manum .  
 Nunc respectat Agar linquendos ægra penates ,  
 Nunc scelus auersans abripit inde gradum .  
 Nunc cursim reuolat ; medio nunc colle resistit  
 Dum memor antiquæ sortis imago redit .  
 Blanditias nunc miscet amans , nunc iurgia portis  
 Addit , & alternis oscula mixta probris .  
 Nunc pudet opprobrij , læsi nunc tædet amoris .  
 Nunc redit in pectus pristinus ignis , amor .  
 Inde pudor crudo tenerum cor vlcerat æstro ,  
 Deque pudore dolor vulnera cæca parit .  
 Ingeminat nunc vota pijs oneranda querelis ;  
 Nunc abit in toras versa querela minas .

Et denhis

Et densis lacrymis dolor hæc inscribit arenis :  
 Abramis Abramiden deseret ergo suum !  
 Deserat: ista parum duræ sed noxa parenti est ;  
 Insuper & diro deuouet exitio.  
 Nec minus infausti patris in caput execrandum  
 Gnate uoues sæuis omina fœta minis.  
 En, quò patris honos æquus quem debet alumnus !  
 En quò iam pieras, & tua Gnate fides !  
 Ipse Thyestæis patris ut caput impie diris  
 Defigas, meruit, fit pius iste furor.

## ELEGIA NONA.

1. *Canis abeuntem Agarem amans sedatur.*
2. *Agar id Abrahe opprobrat.*
3. *Blanditur Ismaëli humi decumbenti canis.*
4. *Iude Agar arguendi Abrahami ansam arripit.*

**D**igreditur tandem mœstis nurus anxia tectis :  
 Vis fuit : & Gnatus par terit exsul iter.  
 Ut fit ; ubi lento limen pede suppressit Agar ;  
 Transsilit ima leui limina calce canis.  
 Adsequitur que pari quadrupes comes agmine fientem,  
 Cui pauitæ tremulis crispula cauda modis.  
 Adsaltatue stolam, dextramque præhensat cuncti,  
 Nescio quid rictu visus hiantæ loqui.  
 Gestus amans pro voce fuit : gannitus, amorem  
 Quem licet, & vibrans cauda dat arte loqui.  
 Tunc sic Abramios Agar increpat ipsa furores.  
 ( Sic vocat imperium iusta quod ira dedit : )  
 Ferrea, cor illo sub pectore duruit, incus,  
 Quod tener è Gnato frangere nescit amor,  
 Quis sua crudeli rescindat viscera iussu ;  
 Viscera funestis dilanianda feris ?